D

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
68
13 D
67

Digitized by Google

1531

De libero arbitrio.

REVERENDI PATRIS DOMI-
ni Henrici Iacobin pœnitentiariorum apoſtoli-
corum decani: de libero hominis arbitrio
tractatus, aduerſus nonnullos moder-
nos qui illud tollere nituntur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

5. 20. F. 6.

ILLVSTRISSIMO AC REVErendiſſimo domino domino Gabrieli de agro monte ſanctæ ceciliæ Cardinali: frater henricus iacobin brito/pœnitentiariorū apoſtolicorum decanus ſalutem dicit.

QVVM pridē reuerendiſſime domine cōmentarios in epiſtolas paulinas adornarem, innotuit mihi nonnullos modernos qui chriſti nomine gloriantur/libertatem humani arbitrij in totum (tam in affectibus internis ꝙ in operibus externis) tollere non uereri. cuius rei indignitate multis nominibus non leuiter percitus, quum ſeſe idoneus locus obtuliſſet/operepreciū rudioribus me facturum exiſtimaui ſi tam execrandum dogma pro modulo meo conuellerem: quod inter enarrandum epiſtolam ad ro. ſedulo adniſus ſum. Cæterum precibus multorum quid de hac re ſentirem perquirentium ſatisfacere cupiens, quod de hoc ſcripſeram/e ſuis ſubſellijs motū per ſe ædendum & tuæ amplitudini quicquid eſt libelli dicandū cenſui. cum ut tui nominis ſplendore commendatū fœlicius prodiret in publicum. tum ut hoc (quale quale eſt) documento meam in te obſeruantiam &

ſeruitutem teſtatam facerem/nec omnino uacuus in hoc tuo fœlici ad urbem reditu ad oſculandas manus tuas accederem. Porro quia hi fatalis neceſſitatis aſſertores nullam præterq̃ ſacræ ſcripturæ autoritatem recipiunt, ea ſola (prætermiſſis etiam quæ afferri potuiſſent rationibus naturalibus) niſus ſum. Quod meum ſtudium ſi ut tibi approbetur mereri ſenſero, non uerebor in poſterũ ad alia & tuæ magnitudini & meo in te ſtudio magis reſpondẽtia/tibiq; dicãda accingi. Obteſtor itaq; reuerendiſſime domine celſitudinem tuã ut hoc meũ xeniolum eo affectu & comitate accipere uelit qua meipſum in ſuam clientelam suſcipere dignata eſt. Quam florentiſſimo galliarum regno & in uniuerſum chriſtianæ religioni chriſtus opti. maximus ſeruet q̃ diutiſſime incolumem. Romæ. xx. maij. M. D. xxxj.

FRATRIS HENRICI IACObin Britonis/pœnitentiariorum apoſtolicorum decani: de libero hominis arbitrio tractatus.

✠

NONNVLLI moderni ex hoc apoſtoli loco nam quod impoſibile erat legi &c. conantur arbitrij tollere libertatem: ſic paulum exponentes. legem infirmari per carnem/eſt legē uiribus naturæ impleri nō poſſe. Et ſubdunt, hæc ſententia omnium/uenerabilis eſt contra aſſertores liberi arbitrij: ſic argumentantes. Qui docent legem noſtris uiribus impleri poſſe/gratiam chriſti plane tollunt e medio: quoniam ſi lex fieri poſſit noſtris uiribus, conſequitur ꝙ chriſto non habemus opus. gal. z. ſi poſſumus legem facere/quid opus habuimus chriſto iuſtificante? Et gal. iij. ſi eſſet lex que uiuificare poſſet/uere ex lege eſſet iuſtitia: ſed concluſit ſcriptura omnia ſub peccato ut promiſſio ex fide ieſu chriſti daretur credentibus. Ideſt inquiunt lex non iuſtificabat, ſed oſtendebat tantum peccatum ut id tolleret poſtea fides in chriſtum. fruſtra. n. promiſſus fuiſſet chriſtus ſi iam antea uiribus noſtris potuiſſemus iuſtificari.

HORVM profecto argumentum etſi recte conclu dit ꝙ qui docent legem noſtris uiribus ex charitate impleri poſſe, gratiam chriſti tollunt ꝙ legem iuſtificantẽ ponant: ex hoc tamen male arbitrij non eſſe libertatem inferunt. Nam ſic neceſſe foret argumentari. homo non poteſt proprijs uiribus implere legem: igitur non habet liberum arbitrium in bene aut male agendo ſecundum legem uel con tra eam. Quod argumentum minime ſubſiſtit: & ex fal- ſo libertatis arbitrij ſenſu procedit. nam arbitrij libertas/ non in eo (ut hi opinantur) cõſiſtit quod eſt ſolis proprijs uiribus quodcunq; oppoſitorum operari aut eorum odio uel amore affici: uerum in eo quod eſt ſuapte natura aptum eſſe ut ad quodlibet oppoſitorũ perſuaderi poſſit. ſiue perſua ſionẽ hanc a deo interius mouente/ ſiue ab obiecto exterio ri/ ſiue alias quõcunq; fieri contingat. In quo utiq; hõ a cæte- ris differt animantibus. Nam cæterorũ animantiũ (quæ be luæ ſunt) omnium ad alterum duntaxat oppoſitorum ſic de terminata exiſtũt iudicia ut nõ niſi ad alterũ oppoſitorũ ac- cõmodari queant: hõ uero ſuapte natura ad utrũlibet oppo ſitorũ aptus eſt perſuaſione & iudicio (ſiue uero ſiue ap- parente) trahi ſeu inclinari. ꝙꝙ non poteſt uiribus pro prijs quædam horum ſibi perſuadere: & ea maxime quo- rum perſuaſio a ſolo deo pendet: ut ſunt ea quæ ad fidem & iuſtitiam dei pertinent, de quibus hic agitur. Erit ta-

men liber in his ut in cæteris homo, ꝙ ei naturalis aptitudo illa ut ad oppoſita perſuaderi queat/ſemper inſit. ipſum nanq; perſuaderi ad hoc uel illud/libertati humani arbitrij accidit: ſicut & libero homini ꝙ ab interius mouente aut ab ijs quæ externis ſenſibus obijciũtur ad alterũ oppoſitorũ moueatur. ¶ Vides utiq; lector modernos iſtos non recte ex pauli ſententia arbitrij libertatem abſtuliſſe. Nã argumentum ipſorũ hoc eſt. non poteſt homo uiribus proprijs legem implere/ergo non eſt liberi arbitrij. Fortius certe hoc pacto argumentari potuerant. non poteſt homo proprijs uiribus uelle implere totam legem/ergo non eſt in hoc liberi arbitrij. Sed nec hoc ualidum eſt argumentum in libertatem arbitrij: ſed ſic fuerat rite arguendum. homo ſuapte natura non eſt aptus ut perſuadeatur ad uolendum implere mandata legis/ergo non eſt liberi arbitrij. Nã antecedente uero exiſtente/hõ ad alterum oppoſitorũ ſuapte natura ſic determinaretur ut non niſi uiolenter ad alterum accommodari poſſet: quod libertati arbitrij omnino aduerſatur.

SEd quoniam multa circa hunc textũ dicti moderni inculcant quæ a pauli doctrina diſcrepare uidentur, non erit ſuperuacaneum ſingula recitare/& quid ueritatis falſitatiſue in ſe cõtineãt expla

nare. Et primum omnium quid de impletione mandatorum legis illi ſentiunt/quidq; falſi eorum opinio contineat aut ueri diſcutiendum erit.

DICVNT ſiquidem illi neminem citra ſpiritusſancti innouationem ne unum quidem mandatum legis implere poſſe: q legis mandata omnia non ſolum externa opera ſed etiam affectus mentis interiores aut præcipiant aut prohibeant: circa quos neminem libertatem habere ſed neceſſitari aſſerunt. ad malos quidem & noxios/dum citra ipſum eis homo afficitur: ad bonos uero/dum ſpiritu agitur. Ita ut nunq liber in his ſit qui eis afficitur: ſiue circa ſpiritualia uerſetur/ſiue circa carnalia que humana appellantur. Ponunt. n. illi in homine nondum innouato ſpiritu affectum ſummum amorem ſui, & illum eſſe amusſim omnium aliorum eius affectuum. quem naturali lumine non poteſt quis ut malum cernere: & ſic nec cor nondum innouatum ſpiritu non proſequi quæ humano lumine cernuntur cum illo potisſimo affectu neceſſitudinē habere: ut ſunt uita/incolumitas/mortis metus/& id genus cætera quæ ad carnem ſpectant. Nam caro inquiunt quærit quæ ſua ſunt & reſpuit contraria. ¶ Dicunt inſuper q quum contingit ut contra interiorem affectum opus externum fiat (ut quum loquitur quis aliud q interius ſentiat/& quū deligitur opus quod odio habetur) illud fieri

q inferior

ꝙ inferior affectus potiore uincatur: ut quū quis amat uo-luptates & gloriam, quia gloriam uehementius ardet/ deligit laborem & uoluptates aſpernatur ut gloriam conſequatur. & ita potiori affectu & qui propinquior cernitur illi potiſſimo qui amuſſis eſt omniū affectuum quis afficitur neceſſario. ¶ *Dicūt preterea lumē naturæ (quod ſcholaſtici inquiūt & philoſophi intellectū ſeu rōnem uocant) tantæ cæcitatis eſſe circa diuinas & ſpirituales res ut penitus eas ignoret. Eſa. I xiiii. & .i. cor. z. oculus non uidit nec auris audiuit nec in cor hominis aſcendit quæ præparauit deus ijs qui diligunt ſe. Et in eodem ca. animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus. De quo lumine inquiunt ait chriſtus matth. vi. ſi lumen quod in te eſt tenebræ ſint/ipſæ tenebræ quantæ erunt? Ex quibus inferunt homines citra ſpiritum contemnere deum/ ignorare penitus ipſum/bonitatem eius & miſericordiā. et ſi opinionem ex ſcripturis iudicij & iræ dei in legis transgreſſores conceperint (quæ contraria amori proprio mandant) eosdem odio deum proſequi & legem eius &c. nec poſſe aliter facere: cum abſꝗ lumine ſpiritus diuina & ſpiritualia cognoſcere nequeant. Et ad hæc probanda adducunt pſal. xiii. dixit inſipiens in corde ſuo non eſt deus &c. non eſt qui faciat bonum/non eſt uſꝗ ad unum.* ¶ *Poſtremo dicunt ꝙ libertatem omnē ho-*

mini adimit diuina prædeſtinatio etiam circa externa ope ra. nam omnia inquiunt euenire iuxta diuinam prædeſtinationem ex ſcripturis conſtat. Citantq́ hos ſcripturæ locos. Ephæ. i. qui operatur omnia ſecundum conſilium uoluntatis ſuæ. Et illud matth. io. nonne duo paſſeres aſſe ueneunt & unus ex illis non cadet ſuper terrã ſine patre ueſtro? Illudq́ prouer. xvi. uniuerſa propter ſeipſum operatus eſt dominus, impium quoq́ ad diem malum. Item illud prouer. zo. a domino diriguntur greſſus uiri: quis autem hominum poteſt intelligere uiam ſuã? Illudq́. xvi. capitis. cor hominis diſponit uiam ſuã, dominus autem dirigit greſſus eius. Item illud hiere. X. ſcio domine q́ non eſt hominis uia eius, nec uiri eſt ut dirigat greſſus ſuos. ℭ Ad hæc adducunt ex ſacra hiſtoria quædam quibus muniunt hæc ſua dicta. Et in primis illud gen. xv. nondum completæ ſunt iniquitates amorræorum. Item illud ſecundi ca. primi reg. & non audierunt uocem patris ſui quia uoluit dominus occidere eos. Quid inquiunt ſimilius caſui fortuito q̃ q́ ſaul abit quæſiturus aſinas & ungitur a ſamuele inauguratur q́ regno? Illud rurſus capitis. X. primi reg. abijt cum ſaul pars exercitus quorum corda tetigerat deus. Et illud. iz. capitis tertij reg. non acquieuit rex populo, quoniam auerſatus fuerat eum dominus ut ſuſcitaret uerbum

ſuum quod locutus fuerat in manu abiæ ſilonitæ ad hieroboam filium nabath. ¶ Et addunt/inquientes. quid aliud apoſtolus in. ix. et xi. ca. epiſtolæ ſuæ ad ro. agit q̄ ut omnia quæ fiunt/in deſtinationem diuinam referat?

EX prædictis ſcripturæ locis moderni præfati & omnia ex neceſſitate euenire & nullā eſſe contingentiā in rebus quæ ſub ſole fiunt (ſiue externa fuerint opera ſiue interni hominum affectus) concludunt. ſicq́ omnem ad bene aut male agendum hominibus adimi libertatem. & neminem poſſe implere legem que bona præcipit & ſpiritualia/niſi ſpiritu innouatum: illumq́ neceſſitate eam adimplere.

SED hi (ut ſupra diximus) ex ignorantia libertatis arbitrij decæpti/in hos inciderunt errores. Si ad membra tua exhibenda arma iuſtitiæ deo qui olim ea exhibuiſti arma iniquitatis peccato/cogeris & neceſſitatus id facis qui ſpiritu innouatus es, cur te apoſtolus ad id agendum nequicq̄ hortatur ro. vi. quippe ad id quod euitare non poſſis. Cur inſuper te oleaſtri ramum trunco oliuæ inſertum qui fide ſtas ſpiritu innouatus/ ne te cadere contingat admonet apoſtolus ut timeas ro. xi. ſi ſic innouatus male agere nō uales/& neceſſario bene operaris/& mā

data imples? Si.n. ſpiritu innouatus neceſſario bene operatur & dei mandata implet, qui ſemel innouatus eſt nunq̃ male operabitur / nunq̃ a bono decidet opere. fruſtraq; erunt omnes ſcripturæ admonitiones quæ hominem ut caueat a malo & in bono perſeueret opere admonent: cum nec bonũ facere qui malus eſt / nec malũ facere qui bonus eſt poſſit, ſed hic ad bonum ille uero ad malũ neceſſitetur. ¶ Sed forſan dices. qui malus eſt / diuina indulgentia fide iuſtificatur liberaliter a miſericordi deo: & hinc qui fuerat malus, bonus iam factus bene agit neceſſario quod dum malus fuerat non potuit. Dic ergo: qui bonus factus eſt / quonam pacto male aget: cum fide & ſpiritu iuſtificatus & innouatus ſit, & iuxta te tales ſemper et neceſſario bene agant? aut ſpoliabit ipſum deus iuſtificatione fidei & ſpiritu innouante ut neceſſario male agat, aut iuſtus fide & ſpiritu innouatus male aget: & ſic non neceſſario bene tales agũt & legem implent ſed libere, quod prius negaſti. ¶ Preterea. Si de neceſſitate omnia quæ circa nos geruntur nobis eueniunt, quid opus fuit ut chriſtus doceret nos petere & quærere quædã / pulſareq; diuinas aures pro eis obtinendis: cum etiam nullo pacto petita quæſitaue / neceſſario nobis euenirent, illaq; petere aut non petere in noſtra non ſit poteſtate. ¶ Nec poteris dicere q̃ dominus ieſus in his & ſimilibus ſecundum hu-

mani intellectus ſeu rationis & nō ſpiritus captum (ut tuo utar dicendi mō) fuerit locutus:utpote qui euangelicā hæc dicens traderet hominibus ueritatem.

NEc ſuperuacaneum erit hoc loco (uiſis abſurdis quæ horum poſitionem conſequuntur qui cuncta ex neceſſitate euenire quæ hominis ſunt & circa ipſum aguntur dictitant: ſcripturas uidelicet ſacras nequicq̄ nos ad bonum agendum malumue fugiendum/legibus ſacris & diuinæ obtemperandum uoluntati hortari:orationesq; omnes & petitiones quas deo offerimus etiam a chriſto ipſo inſtituti & ad id moniti/fruſtra fieri:cum ea omnia quæ his poſtulamus etiā nobis nolentibus & ne accidant renitentibus uentura ſint neceſſario , aut etiam ſi tota uita noſtra precibus inſiſtamus ut eueniant/nequaq̄ uentura ſint)ſcripturæ locos adducere qui huic errori medentur: per quos ad liquidum conſtabit hos a ueritatis tramite deuiaſſe.

ET PRIMVM *omnium/cuperem utiq; dei uerba ad cain (nonne ſi bene egeris recipies, ſin autem male/ ſtatim in foribus peccatum tuum aderit? ſed ſub te erit appetitus tuus & tu dominaberis illius) libraſſent hi. Vidiſſent utiq; etiam malum & peccatorem dominium habere in proprium appetitum quo male aut bene afficitur/*

ut utro uoluerit afficiatur. Si inquit deus/bene egeris, recipies mercedē & bene tibi erit: ſin autem male, ſtatim publicabitur peccatum tuum & uapulabis. Nec te excuſare poteris cum malum egeris ꝙ fatum te ad hoc & neceſſitas mali affectus impulerit. nam dominus es affectuum tuorū, & libertate tali præditus ut utronā(bono uidelicet uel prauo) utaris affectu & opere/in tuo ſit poſſe. tametſi a peccato genuino quod fomes peccati eſt in te/ad malum inclineris & affectum & opus.

¶Hanc arbitrij tui libertatem actor libri qui eccleſiaſticus nuncupatur. xv. ca. magnifice declarat/cum inquit. Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit eum in manu conſilij ſui. adiecit mandata & præcæpta ſua: ſi uolueris mandata conſeruare conſeruabunt te. apposuit tibi ignem & aquam: ad quodcunq; uolueris porrige manum tuam. ante hominem uita & mors/bonum & malum: quod placuerit ei/dabitur illi. Quomodo clarius arbitrij humani libertas manifeſtari indicariue potuit?

V Ad hec ſi adam poſitus in paradiſo/de ligno ſcientiæ boni & mali ſic coactus iuxta te comedit ut non potuerit de illo non edere, cur illi præcæpit deus ut non ederet? cur edentem puniuit? cur inſuper legis præuaricator eſt habitus apud æquisſimum & iuſtisſimum iudicē deū qui legē obſeruare nequibat/& diuinæ ut ais prædeſtina

tionis neceſſitate ad eius transgreſſionem cogebatur, qui nullam prius admiſerat culpam. in cuius forſan penam hanc incurriſſe præuaricationem dici poſſet: ueluti qui ex ingratitudine beneficij diuinæ notionis ſuſceptæ in obſcuritatem cordis & idolatriam a deo traditi ſunt ro. i.

¶ Item ſi populus ille filiorum iſrael cum in ſina perueniſſet non poterat uelle aſcendere montem ſina nec tangere fines eius, cur præcæpit per moyſen populo deus ne montem aſcenderet aut illius terminos contingeret exo. xix. ſin autem/utiq; libertate gaudebant arbitrij.

¶ Si laban perſequens iacob fugientem cum uxoribus & filijs ſuis non potuit alloqui iacob durius nec quicq; mali eidē inferre, cur dixit ille ipſi iacob. & nunc quidem ualet manus mea reddere tibi malum: ſed deus patris tui heri dixit mihi/caue ne loquaris contra iacob quicq; durius gen. xxxi. Fruſtra. n. præcæpiſſet deus laban ne faceret quod facere nequibat.

ADDE q; omnem eligentem oportet libere huius aut illius amore odioue affici: utpote qui pro libito ſuo hoc eligit & illud reſpuit: quod utiq; eſt huius dilectione & illius ſpretu odioue libere affici. conſtat autem ex ſcripturis hominem pleraq; eligere. quo fit ut liberi ſit arbitrij. ¶ Cum. n. abraham & lot non poſſent cōmuniter uiuere (q; ipſorum tanta eſſet gregum/armentorum &

tabernaculorum copia ut non poſſet eos terra capere ut ſimul habitarent) & iurgia inter eorum paſtores orta fuiſſent, abrabam inquit lot. ne quæſo ſit iurgium inter te & me & inter paſtores meos & tuos: fratres. n. ſumus. ſi ad ſiniſtram ieris ego dexteram tenebo: ſi tu dexteram elegeris/ego ad ſiniſtram pergam. elegitq; lot regionem circa iordanem & receſsit ab oriente gen. xiii. Quis eſt tam impudens ut dixerit lot coactum elegiſſe regionem occidentalē & ſpreuiſſe orientalem? ¶ Item cum pugnandum eſſet cum amalec in raphidim/dixit moyſes ioſue miniſtro ſuo. elige uiros & egreſſus pugna contra amalec. qui elegit uiros cū quibus expugnaret amalec exo. xvii. Quis tam obſtinatæ eſt mentis ut dicat ioſue quos e populo elegit uiros bellatores/ſic neceſſario eos elegiſſe præ cæteris & alios ſpreuiſſe ut non potuerit alios illis ſpretis eligere. ¶ Sed forſan dicet cauillofus aliquis. tametſi in eis quæ ad bene maleue acta non pertinent (quæ in ſcriptura/dei iuſtificationes dicuntur. in pſal. iuſtificationes tuas requiram. et item iuſtificationes tuas doce me. et alibi/eructabunt labia mea hymnum cum docueris me iuſtificationes tuas) habeat quis arbitrij libertatem, non tamen in eis quæ ad has pertinent iuſtificationes aut quæ ipſis aduerſantur: quippe quæ ex diuina prædeſtinatiōe ita pendent ut nō niſi ab illis qui prædeſtinati ſunt fieri queant & ab

ant & ab illis neceſſario fiant. Nunquid uidentur tibi ad
dei iuſtificationes pertinere quæ propheta dei moyſes pro
bellis domini implendis fieri iubet/quorumq; omiſſio exo-
ſum omittentem ipſum reddidiſſet deo? ☞ Sed eſto q̄ non/
quid dices ad illud deute. xxx. cum moyſes poſt recen-
ſitam legem populo & propoſitas ipſam legē obſeruan-
tium benedictiones ac maledictiones præuaricatorum eiuſ
dem/ipſi populo inquit. mandatum hoc quod ego præci-
pio tibi hodie/non ſupra te eſt neq; procul poſitum/nec
in cœlo ſitum:ut poſſis dicere quis noſtrum ualet ad cœlum
aſcendere ut deferat illud ad nos ut audiamus atq; opere
compleamus? neq; trans mare poſitum:ut cauſeris &
dicas quis e nobis poterit mare trāſfretare & illud ad nos
uſq; deferre ut poſſimus audire & facere quod præceptū
eſt. Sed iuxta te eſt ſermo ualde in ore tuo & in corde
tuo ut facias illum. Teſtes inuoco hodie cœlum & terram
q̄ propoſuerim uobis uitam & bonum/benedictionē &
maledictionem: elige ergo uitam ut & tu uiuas & ſe-
men tuum, & diligas dominum deum tuum atq; obedias
uoci eius & illi adhæreas. Vides utiq; ut propheta excu-
ſationem omnem cauſantem impoſſibilitatem impletionis
diuinorum præceptorum excludens & in cordis & oris
noſtri poſſe eam ſitam oſtendens, tandem ut eorun-
dem præceptorum impletionem eligamus / corde ac opere

contriaria ſpernentes ſuadet. Quae omnia arbitrij noſtri libertatem in implendis aut ſpernendis diuinis mandatis quae ad dei iuſtificationes procul omni dubio ſpectant inculcant. Quod quidem ſic intellexeris ut omnia dei mandata potens ſit homo nondum fide iuſtificatus aut ſpiritu innouatus / diuino tamen auxilio innitens ex uiribus naturae implere quo ad eorundē ſubſtantiā nō quo ad modum impletionis, ad intentionem uidelicet legiſlatoris: quae talis eſt ut ex dei charitate praecaepta ipſa impleātur. hoc enim homo proprijs uiribus etiā illi diuino auxilio innitens non poteſt: neq́ lex ipſa ad id homini poſſe dabat: in quo erat infirma per carnem. i. impotens sanare hominem carnalem & ei tribuere peccatorū remiſſionem & ſpiritualem uitam: que fidei & legis ſpiritus uitae non ſcriptae legis munera ſunt. ſine quibus mandata legis impleri ad intentionem legislatoris minime poſsunt: ut uidelicet ex dei charitate impleantur. Preterea ſcribitur iudi. 10. ꝙ mortuo iair iudice iſrael populus deſciſcens a deo addidit ueteribus ſuis noxis noua peccata, seruiens idolis baalim & aſtaroth / dijs ſyrie & ſidonis / moab & filiorum ammon: ob quod iratus dominus tradidit eos in manus inimicorum ipſorum qui affl ixerunt eos uehementer / & oppreſſerunt annos duos de uiginti. Quibus clamantibus ad dominum & confitentibus pecca

tum ſuum/ueniamq; poſtulantibus q̄ ab ipſo ad alienos deos deſciuiſſent, reſpondit dominus exprobrans q̄ elegiſſent ſibi deos qui eorum calamitatibus ſuccurrere minime poſſent/dicens. ite inuocate deos quos elegiſtis ut auxilientur uobis. Acſi dixiſſet. cur me deo ueſtro ac uero qui poſſum uos ab omni oppreſſione & malo liberare ſpreto/alienos elegiſtis deos qui nec tantillum quidem uobis oppreſſis ſuccurrere queunt, niſi quatenus hoc eis a me permiſſum datumue fuerit? Vides ut populus iſrael libere elegerit alienis dijs ſeruire & ſpreuerit deo uero obſequi? Quid igitur cauſaris non eſſe liberos hominis internos affectus & externa opera etiam in eis quæ ad dei legem pertinent? cum.n. eligere & reſpuere dei ſeruitia ſint interni cordis affectus, & deo uero ſeruire cum colēdo ab hoc ue cultu abſtinendo dijs alienis inſeruire opera quædam externa ſint/& omnia ad legem dei & eius iuſtificationes pertinentia: quo uultu ibis inficias nos cum in affectibus tum etiam in operibus externis ad dei legem & iuſtificationes pertinentibus liberos eſſe?

Adde & optionem illam liberam qua dauid ex tribus cladibus per gad uidentem ſibi propoſitis ob ſcelus in cenſu populi admiſſum/cladem trium dierum ab angelo faciendam elegit: optans potius incidere in manus dei miſericordis q̄ in manus hominum. Qui hanc cladis trium dierum

optionem liberam fuiſſe negabit? quis inſuper ipſum dauid alteram reliquarum duarum plagarum non potuiſſe eligere dicet? cum uidens ipſe ex perſona dei loquens ipſi dauid dixerit. hæc dicit dominus/trium tibi optionem do, elige quod uolueris. ¶Si cæteros ſcripturæ locos qui humani libertatem arbitrij probant numerare pergam, non unus profecto mihi liber ſed plurimi conficiendi erunt: quos ſcripturæ locos cōſultius ad præſens prætermitto/ne lectorē tedio afficiā. Quanuis & propheta in pleriſq; pſalmis hāc tam internorū affectuū q̄ externorū humanorum operum libertatem cecinerit/cum inquit. elegi abiectus eſſe in domo dei mei magis q̄ habitare in tabernaculis peccatorum. item uiam ueritatis elegi.

SVpereſt ſophiſmata & argumentatiunculas eorū diluere qui arbitrij libertatem impugnant. Et primum omnium ad id quod opponunt/lumen uidelicet naturæ ut eorum uerbis utar (quod non aliud q̄ hūanus intellectus in puris ſuæ naturæ limitibus cōſtitutus eſt) tantæ cæcitatis eſſe ut diuinas & ſpirituales res penitus ignoret: hominemq; citra unctionem ſpiritus & fidei iuſtificationem ſola carnalia ut bona cernere & ſpiritualia omnia contemnere/q̄ ea ſola cernat & hæc penitus ignoret. Reſpondetur pleraq; eſſe ſpiritualia quæ

lumine naturæ cernuntur, nec omnia carnalia eſſe que illo lumine reuelantur ut hi opponunt. in his enim ſunt anima hominis/ipſum intelligere eius/ipſum uelle/deus rerum omnium fons & origo/mundi ab ipſo productio & moderatio omniū/legis naturæ præcæpta, quæ bōa ſunt et ſpiritualia: quæ tamen philoſophi lumine naturæ cognouerunt. Audi diuum paulum. ro. vii. dicentem legem ſpiritualem eſſe/mandata ipſius bona ſancta & iuſta. Quæ uerba ad decalogum procul omni dubio referuntur, qui iuris naturæ eſt, & ab homine lumine naturali cerni & cognoſci poteſt: teſte propheta pſal. iiii. ubi quærentibus quis oſtendet nobis bona? reſpondet ſignatum eſſe ſuper nos lumen uultus dei. i. indita eſt nobis a deo genuina quædam bonorum operum notitia cum nos ad ſimilitudinem ſui formauit gen. z. ¶ Et huc ſpectat illud deute. xxx. mandatum quod ego præcipio tibi hodie (recenſuerat autem prius decalogum) non ſupra te eſt neq̧ procul poſitum, ut te excuſare posſis ꝙ id facere nequeas: ſed iuxta te eſt in ore tuo & in corde tuo ut facias illud. i. intantum eſt tibi genuinum ut posſis ore ipſum exprimere, cum ipſum naturali lumine cognoſcas & cernas: & corde. i. uoluntate diligere & amplecti, & cōſequēter ad extra exprimere & facere. ¶ Et illud quoq̧ ſecundi capitis ad ro. ad idē pertinet, cū gentes quæ legem nō habent/

naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt, ipſi ſibi ſunt lex. Cum. n. inquit apoſtolus ꝙ gentes mandata legis (. i. decalogi) naturaliter faciunt, oſtendit profecto aliud lumen non neceſſarium eſſe ad mandatorum legis cognitionem & operationem ꝙ̃ naturale. non. n. faceres naturaliter (. i. rationali natura duce) mandata legis ſi naturale lumen tuum id tibi non demonſtraret bonum eſſe & a te faciendum.

Vides ꝙ̃ ſiniſtre dixerunt illi lumen humanæ naturæ tantæ cæcitatis eſſe ut diuinas & ſpirituales res penitus ignoret / & non niſi carnalia bona eſſe ſentiat: hominemq; citra ſpiritus unctionem contemnere deũ & diuina, quum ipſum penitus lateant deus & diuina. In quos certe errores non incidiſſent / ſi ſcripturarum genuinos ſenſus nouiſſent. ¶ Nec illud Eſaie. Lxiiii. citatum a diuo paulo. i. cor. z. (oculus non uidit nec auris &c.) quod ad dicta ſua uallanda adducunt / ipſorum probat propoſitum. nam locus ille ſcripturæ de ſupernaturalibus bonis quæ naturale hominis excedunt lumen / loquitur: nec dicit præter illa nulla alia eſſe ſpiritualia bona: quod utiq; neceſſe foret ſi illi concluderent. ¶ Illud inſuper. i. cor. z. animalis homo non ſapit ea quæ dei ſunt. ſi de ſupernaturalibus bonis duntaxat intellexerint & de animali homine. i. non uncto ſpiritu nec fide iuſtificato, uerũ utiq;

eſt: ſed ſic intellectum/eorundem dicta minime probat. Si autem de non uncto homine & bonis alijs naturæ hominis proportionatis intellexerint, omnino falſum eſt. Et arbitror apoſtolum in hunc ſenſum dixiſſe/animalis homo &c. i. homo qui animalis adhuc eſt (nondum uidelicet unctus ſpiritu aut fide iuſtificatus) non guſtat ſeu approbat ea quæ ſpiritus dei ſunt: quæ uidelicet hominis rationem tranſcendunt & ſola unctione ſpiritus noſcuntur. Id quod conſtat ex eo ꝙ ibidem præponitur. nemo nouit quæ dei ſunt niſi ſpiritus dei: nos autem non ſpiritum huius mundi accæpimus ſed ſpiritum qui ex deo eſt/ut ſciamus quæ a deo donata ſunt nobis. & Chriſtus inſuper lumē quod in te eſt. i. naturæ lumen/tenebras eſſe aſſerit/illis ſupernaturalibus bonis duntaxat non alijs quæ lumine naturali percipiuntur collatum: ꝙ ipſum naturale lumen nequit illa reuelare que ſola ſpiritus unctione innoteſcunt. concludens magnam eſſe eorū hominū ignorantiam qui non ſolum ea quæ humanum lumen excedunt uerū etiā quæ lumine naturæ innoteſcunt ignorāt. ¶ Quod autem de amore proprio adducunt (ipſum uidelicet in homine nondum ſpiritu uncto ſic neceſſario uigere & amuſſim omnium hominis talis affectuum eſſe ut nil ei contrarium affectet aut bonum uidere queat) ſi de amore ſui illicito & a peccato genuino orto dictū fuerit, conſtat falſum

eſſe: cum homo nondum unctus plura affectet bona ſpiritualia ſuapte natura: ut laudem & gloriam dei primi & supremi entis / a quo omnia pendent & qui a nullo, colere eundem & obſeruare naturalis iuris mandata / & cætera huius generis. Quæ diuus paulus ro. i. philoſophos a machina mūdi (dei artificio) cognita nouiſſe aſſerit: & pro huius notitiæ ingratitudine & glorificatiōis dei cogniti omisſione in tales mētis tenebras traditos ut creaturā pro creatore colerent fuiſſe dicit, inuiſibilia inquiens dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoq; uirtus & diuinitas: ita ut ſint inexcuſabiles: qui cum deū cognouiſſent nō ſicut deū glorificauerūt ſed euanuerunt in cogitatiōibus suis & ſtulti facti ſunt qui credebāt ſe eſſe ſapiētes. ¶ Nōnullorū etiā animos religio & dei ueri (nō quidem ut iuſtificatoris aut glorificatoris / ſed ut eſſe datoris & moderatoris omnium) cultus ita naturæ bonitate tetigit ut mallent perire q̄ alium ut ſupremū dominum colere. In his abraham fuiſſe quidam dicunt: quem ne ignem cum chaldæis coleret / a chaldæis ipſis aufugiſſe aſſerunt, quū tamen nondū fide iuſtificatus aut ſpiritu ut cōſtat unctus adhuc eſſet. Rex etiā ille geraris gentilis cum cognouiſſet ſaram abrahæ apud ipſum peregrinantis uxorem eſſe / eam ipſi reſtituit: arguens abrahā ſceleris q̄ eam ſororem ſuam eſſe dixiſſet / non expreſſo q̄ uxor ſua fuiſſet:

& ita

& ita tanti ſceleris ſui cauſa foret ut alterius uxorem in ſuam ſuſciperet. Vides ut naturali lumine rex ille decalogi præcæptum (ne alterius uidelicet nuptam quis duceret prohibens) obſeruare cuperet geneſis. zo. Habes & in actis apoſtolorum. xvi. ca. de muliere purpuraria gentili nomine lydia ciuitatis thyatirorum colente deum / cuius dominus aperuit cor intendere ijs quæ prædicabantur a paulo. Et ca. xvij. ꝙ de gentilibus colentibus deum theſſalonicæ adiuncta eſt paulo & ſilæ multitudo magna: ob quod zelo & liuore ducti iudæi concitauerunt ciuitatem aduerſus eos. Vides ut gentiles nondum ſpiritu uncti & citra fidem iuſtificantem / deum colerent uerum. Vides igitur ut falſum dicunt illi ꝙ homo citra ſpiritum ignorat penitus deum & diuina / & contemnit ipſa. ¶ Et quod adducunt pſal. xiii. intelligendum eſt iuxta diui pauli ſenſum ro. iii. ubi locum illum ſcripturæ inducit ad probandum omnes etiam iudæos peccato obnoxios fuiſſe & eguiſſe gloria dei in ſui iuſtificatione. i. ꝙ glorificaretur deus: nec potuiſſe ſufficienter cognoſcere deum iuſtificantem & glorificantem niſi per fidem / aut operari legem taliter ut iuſtificarentur ex legis operibus: cum legis tranſgreſſores eſſent omnes quo ad modum ſaltem eam implendi (ex charitate uidelicet dei

& proximi (licet eam quo ad ſubſtantiam mandatorum implere poſſent nondum ſanati a peccato per fidem & ſpiritus unctionem : quod ad iuſtitiam minime ſufficeret . ſanum ſiquidem hominem a peccato requirit legis ad intentionem legislatoris impletio : quod facere lex (in hoc infirma) non poterat . ro . viii. Argumentum uero quod poſtremo in erroris ſui munimen adducunt / ſophiſma eſt. Arguunt ſiquidem ſic. omnia iuxta diuinam prædeſtinationem eueniunt : igitur libertas homini in operibus ſuis omnibus tollitur . Et uidentur prædeſtinationem non ut reprobationi aduerſatur (quo ſenſu ſcriptura eam uſurpat) sed pro diuina uniuerſali prouidentia accipere . nam scripturæ loci plerique quos ad enthymematis ſui priorem propoſitionem probandam citant / de generali dei prouidentia loquuntur : ut ſunt illi matth . x . nonne duo paſſeres aſſe ueneunt / & unus ex illis non cadet ſuper terram ſine patre ueſtro ? in illo namque loco chriſtus deum electorum curam gerere a minori ad maius arguens / oſtendit . ſi inquiens deo cura de passeribus exiſtit (prout eſt) quanto magis de filijs electis suis ? Et locus ille ephe . i . qui operatur omnia ſecundum conſilium uoluntatis ſuæ . ubi oſtenſo quod uocatio sanctorum in adoptionem filiorum per ieſum chriſtum

eſt ſecundum propoſitum diuinæ uoluntatis in laudem & gloriã multitudinis miſericordiæ eius quæ ſuperabundat in ipsis ſanctis, ſubdit apoſtolus non ſolum deum eorundem filiorum prædeſtinationem uerum & omnia agere ſecundum conſilium uoluntatis ſuæ: ſic ut nihil in conſpectu ipſius dei a caſu aut fortuito eueniat / ſed omnia ut ipſe diſponit fiant. ¶ Attende *nunc & uide quale erit eorum argumentum ſic argumentantium. omnia hominis opera & affectus omnes neceſſario diuinæ ſubſunt prouidentiæ / a qua nil ſubduci poteſt: igitur omnia de neceſſitate & nihil libere ab homine fit.* Ignoras *q̄ deus unumquodq; in finem ſuum dirigat pro ſuæ naturæ conditione: hoc quidem ſine eius quam incedit uiæ notione: ut cum lapidem & graue omne ad ima trahit aut leue in altum fert. illud uero cũ uiæ quã pergit ſenſu & affectu, ſiue interno ſiue externo ſiue libero ſiue naturali & determinato prout directi natura expoſtulat / nulli uim inferens: canem in leporem uiſum / catum in ſoricem & lupum in ouem / ſic mouens ut hi illis conciliari blandiriue nequeant: homines uero & ſpiritus ſuaſione quadam naturali aut naturam excedente ad utram libuerit diuerſarum uiarum non ut beluas ad alteram duntaxat trahens. ad ea nanq; bona quæ lumen hominis natu-*

rale excedunt / perſuaſione naturam excedente homi-
nem libere trahit deus. Quod patet. nam e duobus
audientibus fidei uerbum alter ipſum ſuſcipit quod alius
ex contentione reſpuit. non. n. omnes obediunt euan-
gelio ro. x. hic ſiquidem perſuaſus credit & cupit
quod ille qui idem audiuit euangelium imperſuaſus ne-
gat & reſpuit. Ad ea uero quæ hominis naturali lu-
mine noſcuntur / perſuaſione naturam non excedente
trahit deus hominem libere. quod uel ex eo conſtat
ꝙ e duobus eandem argumentationem ab uno eodem-
ꝗ & eodem tempore prolatam ad aliquid perſuaden-
dum / alter perſuaſus aſſentiet argumentanti a quo
alius imperſuaſus diſſentiet. Et horum omnium opera-
tiones diuinæ ſubduntur prouidentiæ. nec ob hoc omnia
ex neceſſitate fiunt ſed quædam libere ut dictum eſt /
quædam uero neceſſario: cuncta mouente deo ad om-
nia eorum opera pro ipſorum naturæ conditione.

¶ Quod inſuper ex prouer. xvi. adducunt, nil aliud pro-
bat ꝙ deum eſſe omnium finem ultimum. Quod uero
ex. xx. & . xvi. capitibus citatum eſt ſi inueſtiga-
ueris, inuenies illud ſapientem dixiſſe non ut libertatem
actionibus hominis tolleret: ſed hominis ignorantiam
oſtendit, ut ad altiſſimum confugiat in operibus ſuis
ut quid agere debeat ei inſinuet / auxiliumꝗ bene agen-

di præſtet. quæ omnia cum libertate arbitrij ſtare conſtat. ¶ Illud item de inauguratione regni ſaulis & unctione eius a ſamuele, nihil aliud probat quam nil eſſe fortuitum aut caſuale apud deum/ ſed cuncta eius prouidentia fieri: ut ſupra dictum extitit. nobis ſiquidem agentibus a propoſito aut a natura(ut uerbis utar philoſophi) quædam accidunt caſu aut fortuito / neque quam a nobis intenta. non ſic autem eſt apud deum, cuius actioni nil accidere poteſt: quum nil futurum ipſum lateat aut præter eius propoſitum in ipſius operibus eueniat. omnia.n. nuda & aperta ſunt oculis ipſius.

Illud etiam gen. xv. (nondum completæ ſunt iniquitates amorræorum) non aliud prætendit niſi quod deus multæ ſit miſericordiæ, & quod tandem iuſtus obſtinatos in malo acriter non ſtatim tamen ut quis delinquit puniat: iuxta illud .ro. z. an diuitias bonitatis & longanimitatis eius contemnis, ignorans quod longanimitas eius ad pœnitentiam te adducit? ſecundum autem impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iuſti iudicij dei. Quod nil aduerſum libertatem humani arbitrij facit.

Illa inſuper quæ ex. x. & . z. ca. primi reg. necnon ex. xii. tertij citātur(quod uidelicet abijt cum ſaule pars exercitus quorum tetigerat corda deus. & de filijs heli quod

non audierunt uocem patris ſui eos admonentis / quia uoluit dominus occidere eos. & ꝙ rex roboam non audiuit uocem populi quia auerſatus fuerat eum dominus ut ſuſcitaret uerbum ſuum quod locutus fuerat in manu abiæ ſilonitæ ad hieroboam filium nabath) nil aduerſus arbitrij libertatem aſſerunt: ſed quoſdam a deo interius perſuaderi ad nonnulla (ut pars illa exercitus perſuaſa fuit ꝙ ſequeretur ſaulem) & quoſdam exigentibus prioribus eorum noxis in plura peccata a deo permitti ruere & demum pro eis uapulare, quoſdam etiam permitti ab ipſo deo in cæcitatem cordis abire ob ingratitudinem aut alias & hinc turpiter in maiora ruere mala (ut ro. i. habetur) inſinuant. Quæ omnia cum arbitrij libertate ſtant. nam & qui perſuaſus a deo eſt / libere agit id ad quod perſuadetur: cum ſuapte natura ad oppoſitum perſuaderi queat. qui etiam in ulteriora & grauiora peccata labi a deo permittuntur / illa libere operantur: cum ad oppoſita apti ſint perſuaderi: quod beluis quippiam operantibus minime competit. ¶ Sed hi decæpti ex duobus fuiſſe uidentur: ꝙ uidelicet libertatis arbitrij rationem & ſcripturæ loquendi morem ignorarint. crediderunt ſiquidem omne quod infallibiliter fit / neceſſario fieri & non libere quandoq;. exiſtimauerunt etiam ut / in ſcri-

ptura ſemper notam eſſe cauſalitatis, cum ſepius nota ſit conſecutionis : ut in commentarijs noſtris ſuper tertium caput epiſtolæ ad ro. in illo pſal. loco ut iuſtificeris in ſermonibus tuis ab apoſtolo ibidem citato / latius expreſſimus.

Ea autem quæ diuus paulus in. ix. & . xi. capitibus epiſtolæ ad ro. de prædeſtinatione inculcat, non ea intentione ut arbitrij libertatem electis aut reprobis in bene aut male agendo tollat (ut hi autumant) introducit : ſed quum nonnulli impij iudæi deum maledictis inſectarentur) arguentes ipſum infidelitatis / ꝙ non ſeruaſſet iudæis quæ ipſis promiſerat bona : ſed potius eos a ſe eieciſſet affeciſſetq; non modica ignominia / quibus tamen antea longe ampliſſimos honores promiſiſſet : ſuffeciſſetq; eorum in locum gentiles, qui ipſius nullam habuerant antea ut iudæi ipſi rationem: ſicq; in his nullam ſeruaſſet æquitatem, ſed accæptor potius eſſet perſonarum / gentem extollens idolatram & eam opprimens quæ ipſius ſemper habuerat rationem / ſpretis falſis dijs eidem inſeruiens) dolens apoſtolus ipſe utpote qui ingenti flagrabat dei charitate / ꝙ hæc & ſimilia ab impijs & blaſphemis iudæis falſo impieq; in deum dicerentur / proq; dei gloria zelans, per ea quæ in

dictis capitibus introducit ſcripturæ loca / nititur oſten-
dere diuina omnia promiſſa ad unum eſſe impleta /
aut certe taliter implenda ut nec ex ipſorum iudæo-
rum reprobatione quicq̄ iſraeli promiſſum excide-
rit. q̄uis humana ratio id ſicut & pleraq; alia
dei iudicia cernere nequeat. eoq; homines ab inueſti-
gatione diuinorum iudiciorum deterret: utpote ab eis
quæ humani ingenij captum exceduut. eorumq; qui
a deo promouentur promotiones nullis ipſorum pul-
chris facinoribus præuijs aut ſequentibus ſed diuinæ boni-
tati & miſericordiæ aſcribendas eſſe (ut plane patet
paulū ibidē legentibus) ex ſententia oſtendit. nam ſolis
dei electis (ſiue ex iudæis ſiue ex gentibus ſint) qui
ſpirituale abrahæ uerum ſemen ſunt / non ſecundum
carnem ſed ſecundum uerbum diuinæ promisſionis ei
nati non carnalibus iſraelitis promisſiones illæ dei fa-
ctæ fuerunt: qui nec in minimo quidem promisſioni-
bus illis ex carnalium iudæorum reprobatione fruſtra-
ti ſunt. ¶ Vides ut falſo paulum in libertatem arbi-
trij multa inculcaſſe illis in locis hi dixerint: cum nec
ullum uerbum de libertate arbitrij ibidem diſſeruerit /
nec aliquid ad id pertinens ex ſententia introduxerit:
sed ex electione & dei propoſito iuſtitiam & ſa-
lutem eiuſq; generis bona euenire hominibus ſic affir-
mat ut

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

mat ut non niſi electis ſuis & quibus ea dare propoſuit deus eueniant. Sed hæc libertati humani arbitrij minime aduerſantur: cum ſuapte natura ad media quibus hæc acquiruntur & ad eorum oppoſita perſuaderi queat, in quo humana conſiſtit libertas.

¶Demum ex prædictis conſtat hos modernos ob philoſophiæ naturalis penuriam adeo deceptos fuiſſe ut quoniam apud deum nil fortuitum nilq; caſuale eſt (cum eius prouidentiæ omnia quæ apud nos caſualia & fortuita ſunt ſubdantur) ita & in actionibus creaturarum nil fortuitum aut caſuale eſſe aut accidere / ſcripturamq; id affirmare crediderint. cum tamen nu. xxxv. dicatur ꝙ ſiquis abſq; odio & inimicitijs fortuito occiderit hominem / & hoc audiente populo fuerit comprobatum / atq; inter percuſſorem & propinquum ſanguinis ultorem quæſtio fuerit uentilata, liberabitur innocens de manu ultoris / & reducetur ad urbem ad quam confugerat: manebitq; ibi donec ſacerdos magnus qui oleo unctus eſt moriatur. Si ut illi aiunt nil fortuitum eſt, cur in iudicio iuſſit deus id probari? uides igitur ut illi errarunt negantes quippiam fortuito fieri / & contingentiam in rebus non eſſe ullam dicentes. Et de his hactenus: quæ ſicut & quæcunq; alia a me tam ſcripta q̃ ſcribenda iudicio eccleſiæ ſubmitto.

¶OPVSCVLI DE LIBERO ARBItrio hominis / editi per Reuerendum patrem dominum Henricum Iacobin Britonem pænitentiariorum apoſtolicorum decanum

F I N I S.

¶Romæ per Antonium bladum aſulanum xxij. Iunij .M.D. xxxj.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE